



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

§. 4. De solitudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

De Solitudine. §. IV.

Sollicitudo est celeritas mentis in
 rectè exequendis virtutum operi-
 bus, quæ per prudentiam ac dis-
 cretionem apta obsequio Dei & nostro
 profectui iudicata sunt. Quam Petrus
 copulauit prudentiæ dicens: *Estote*
prudentes, & vigilate in orationibus.
 Ex quo constat, sollicitudinem alio
 nomine vocari vigilantiam, quoni-
 am soporem mentis, id est, noxiam
 quietem, & incuriam in benè operā-
 do repellit. Vocatur etiam feruor
 spiritus: quoniam sicut aqua feruēs
 huc illucque mouetur, & præ calore
 muscas & animalcula immunda in-
 tra ollam intrare non patitur: ita a-
 nimus vigilans atque sollicitus, nun-
 quā in noxia quiete est, sed diligen-
 ter curat, impedimenta bonarum a-
 ctionum expellere; & eas sine vlla,
 quantum potest, imperfectione præ-
 stare.

1. Petri
4.7.

Incitamenta ad sollicitudinem
 sunt: I. Tepiditatis & negligentiae
 status; in spirituali verò quodammo-
 do

do peior est in statu carnali, quia facilius quis & frequētius solet à peccato ad gratiam resurgere, quàm ad feruorem à tepore transire. Cuius rei

Cass. col.
4. c. 19.

Cassianus est manifestus assertor, ita scribens: *Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id est, de secularibus atque paganis, ad spirituale peruenisse feruorem; de tepidis atque animalibus omninò non vidimus. Quos etiam per Prophetam, ita legimus, Dominum detestari, vt spiritualibus viris atque doctoribus precipiatur, vt ab eis monendis docendisq; discedant, & nequaquam veluti in sterili, atque infructuosa terra, noxisq; sentibus occupata, semen verbi salutaris expendant, sed vt contemntes eam, nouam potius excolant terram, id est, erga paganos, ac seculares omnem doctrinae culturam, ac verbi transferant salutaris instantiam: quod ita legitur: Hæc dicit Dominus viro Iuda & habitatoribus Ierusalem: Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.*

Iere. 4. 3.

I I. Magna sollicitudine mundani homines, fallaces diuitias quærunt,
impu-

impuras voluptates inquirunt, & inanez honores aucupantur, nihilque quod suis desiderijs conducibile existimant, infectum prætermittunt. Nos ergò râtò sollicitiores esse oportet, quantò non vana, sed vera speramus: non impura, sed sancta, sed perfecta, sed Deo placita concupiscimus. Ne dicatur de nobis, quòd filij huius sæculi prudentiores, & vigilantiores filijs lucis in generatione sua sunt. Immodò potiùs pareamus voci Domini dicentis: *Vigilate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.*

III. Non desidibus & otiosis, sed sollicitis, & feruidis, & vigilantibus, diuitiæ, & præmia promissa sunt. Vnde optimè dixit Basilus: *Quis, quæ Basl. so, vnquam, qui sementis tempore domi defederit otiosus, aut etiam dormiens, vbi postea messis aduenit, sinum suum manipulis impleuit? Quis ex vinea, quam ipse non plantauit, vuas vnquam Luc. 12. collegit? Illorù enim sunt fructus, quorù & labores; sicut corona præmiaq; illorù qui victores euaserint. Quis enim eum, qui*

qui ne in certamen quidem cum aduersario descendit, corona vnquam duxit esse insigniendum? Cum ad eam promouendam, non victoria modò, sed legitimus in certando conflictus requiratur, vt est apud Apostolum: quòd quidem nihil aliud est, quàm, vt eorum quæ obseruanda descripta sunt, nihil omnino quicquam prætermittatur, ac singula ita fiant, vt à præscripto nihil discedatur. Beatus enim, inquit, seruus ille, quem cum venerit Dominus, inuenerit non simpliciter quiduis facientem, sed sic facientem. Et si rectè quidem obtuleris, non rectè autem diuiseris, peccasti.

Actiões sollicitudinis sunt: I. Bonis operibus, vt rectè & religiosè peragantur, debitam mentis attentionem ac necessarium conatum adhibere.

II. In cura perficiendorum bonorum operum, vigilantia, quam ponere consueuimus in rebus huius mundi, non vinciri: sed sic vt exhibuimus membra nostra seruire iniquitati ad iniquitatem; ita eadem exhibeamus seruire

seruire iustitiæ in sanctificationem.

III. Eadem bona opera tempore congruo præstare, & nec ob negligentiam, aut nimiam rerum temporalium curam, in importunū tempus differre, nec ob desiderium se ab onere bonorum operum exoluendi, ipsa præuenire.

IV. Omnia impedimenta, tum externa occupationum, tum interna secularium cogitationum, curarum, & imperfectionum, quæ bonorum operum pulchritudinem, tranquillitatem, & perfectionem inficiunt, constanter & animosè dimouere.

V. Tantam diligentiam singulis bonis operibus apponere, quasi tota salus ex vnoquoque penderet.

VI. Quodcumque bonum opus tanta cura ac diligentia præstare, ac si esset postremum, quod in tota vita sumus facturi, & ac si statim essemus morituri.

Postulatio sollicitudinis. Domine
 IESV Christe, Pastor vigilantissime,
 qui exultasti vt gigas ad currendam *Psalm. 117.*
 nostræ redemptionis viam, & egres- 53.
 sionem

242 DE VIRT. PRVDENT.

tionem tuam à summo cœlo, & reditum tuum vsq; ad summum eius propter Adam, & posterorum eius salutem, celerrimè peregisti: præcinge nos sancti feruoris virtute, & pone immaculatam ab omni segnitie viam vitæ & conuersationis nostræ. Perfice sollicitudine à te immissa pedes, hoc est, affectus nostros, tanquã ceruorum, & nos super excelsa & inaccessibilia virtutis statue, vt tibi summo Regi in terris positi, sicut in cœlis Angeli seruiunt, sollicitè & vigilanter seruiamus. Amen.

De Circumspectione. §. V.

Circumspectio est attentio mentis sedula ad ea, quæ circumstant bonum opus, quod aggredimur, vt rectè & secundùm prescriptum virtutis fiat; & ad ea quæ insurgunt, & sese obijciunt, impedimenta, ne quod prudenter incipimus, sinistrè succedat. Et hæc pars circumspectionis, quæ mentem præmunit aduersus insurgentia & imminencia mala, vocatur cautio; de qua Paulus: *Videte fratres*

Ep. 5. 15.